

quibusdam conditionibus. Notandum tamen est, hujusmodi testamentum sæpe originem dare litibus et discordiis, ac proinde tutum non esse. <sup>1</sup>

235b. — Tres dantur **dispositiones testamentariæ**, scilicet codicillus, legatum et substitutio.

236b. — *Ex jure americano* **codicillus** iisdem solemnitatibus eodemque testium numero gaudere debet ac testamentum. <sup>2</sup>

237-241b. — Quoad **legatum** *in jure americano* eadem habentur ac in lege anglica quæ intea exposita fuit sub n. 237-246a.

242-246b. — **Substitutio** est dispositio, qua quis vocatur ad hæreditatem vel legatum in alterius defectu. — Duplex est substitutio : alia **DIRECTA**, qua quis directe et proprio nomine, loco alterius, ad hæreditatem vocatur, siquidem ille rem accipere nequeat vel nolit, et alia **FIDE COMMISSARIA**, qua hæres a defuncto gravatur et obligatur, ut hæreditatem totam vel ejus partem alteri restituat seu tradat. <sup>3</sup>

247b. — Quoad **executorem testamenti** *in jure americana* eadem dispositiones habentur ac in jure anglico : confer n. 247a.

313b. — *Ex jure americano*, si res empta fuerit in foro publico, excepto casu evictionis per judicis sententiam, dominium transfertur in emptorem bonæ fidei. Et cum hoc ab commercii securitatem statutum sit, res potest retineri tuta conscientia <sup>4</sup>

317b. — *Jus americanum* nihil statuit.

319b. — *Jus americanum* confirmat jus naturale.

333b. — *In jure americano*, nihil prater jus naturale habetur.

345b. — *Jure americano*, **in casu dubiæ fidei supervenientis** debet possessor domino restituere fructus naturales et civiles, modo exstent in se vel in æquivalenti. Fructus autem mixti alter dominum et possessorem dividi debent secundum estimationem viri prudentis et honesti. Cfr n. 316.

1. Sabetti, n. 509.

2. Sabetti, n. 514.

3. Sabetti, n. 514.

4. Marc, I, n. 937 ; Tanqueray, II, Suppl. 22.